

44

EPICEDIA,

Cum

*Funus*

VIRI

Nobilissimi, Amplissimi, Consultissimique

D O M I N I

**GEORGII BEHM,**

Consulis in Civitate Regia Thorunensi

Optime meriti,

D. XXV. Octobr. Anni cl<sup>o</sup> l<sup>o</sup> ccXIII.

Repentina beata tamen morte correpti,

D. XXXI. Eiusd. m. & A.

*Solenni ritu efferretur,*

Extremi honoris persolvendi causa

conscripta

Ab

RECTORE, PROFESS. ET VISITATORIB.  
GYMN. THOR.



THORUNII, impressit Joan. Nicolai, NOBIL. SENAT. & GYMN. Typogr.



**Q**uam fallax vitae fragilis sit terminus, & quod  
In puncto certus vivere nemo queat.  
Nunc iterum exemplo praeclari Consulis urbis,  
Nos omnes funus triste docere potest.

Scilicet incolumen, membris animoque valentem

Mox casu mergit summa dies propero.

Nondum deposuit curas, quas curia dicitat,

Cum subito ponit corporis exuvias.

Dum vacat attentus populi patriaeque saluti,

Regula quae recti est, meta laboris adest.

Pro patriae rebus propriam praebere salutem

An non ad laudem certa brevisque via est?

Ergo Tibi laus haec, Consul defuncte, manebit,

Quot fidei testes tot quoque laudis habes.

Nam bene qui vixit, semper spectabilis orbi,

Hoc melior, bene qui claudit in orbe diem.

Cumque modum mortis ceu vitae nemo tenebit,


Dic, vitae miserae quaelibet hora meae,

Labimur & stamus Domino, cum iusserit ipse,

Felix quem promptum Iova vocare potest.

In honorem Nobiliss, Consulis lugens  
sc.

Petrus laenichius, R.



**I**essiades, sacro dictus cognomine Psaltes

Codice, divino Flamine ductus ait:

(Scilicet in vitae dum vertit lumina sortem

Huius, quae brevis est mancipiumque necis.)

Mi Pater Omnipotens, finem (TE quaeso) dierum

Me doceas, quod sim pulvis & umbra, nihil.

Quodque



Quodque sciam quis sim, fuerim quis, quisque futurus,  
 Certius haud etenim nil mihi morte reor.  
 Nam mea, dum vixi, viderunt lumina mortem  
 Rodere mortales, non ego peior ero.  
 Saepius ast etiam, Scriptura teste, beatum  
 Exoptat finem flens lacrymansque suum.  
 Sat gnarus, mortem certam contingere cunctis,  
 Sed non salvificam, quae manet ipsa pios.  
 Haec Tua, quis dubitet? Vir Consultissime BEHMI,  
 Saepius ex animo vota fuere pio.  
 Saepius in vita (verbis haud blandior ullis,)  
 A TE divina est sollicitata TRIAS,  
 Ut, quoniam haud terris sine naevis cernitur ullis  
 Aut expers omnis criminis ullus homo,  
 TE quoque Supremus faceret meminisse caducae  
 Director vitae, quem modo laetus amas.  
 Bellipotens Gallus visus TIBI, Belgia visa,  
 Vixisti Italicis notus & inde viris.  
 Anglia TE posthac sua florida traxit ad arva,  
 Et tamen in cunctis vita caduca locis.  
 Quinetiam, qui Te hic multis amplexus ab annis  
 Non nisi flavescens atque caducus honos:  
 Sed nunc firma tenes, superas nunc mobile quodvis  
 Mortale & rides, cur? quia firma tenes.  
 Ergo vale aeternum, firmusque in sede beata  
 Jam fruire amplexu colloquioque DEI.  
 Quisquis eris vero, finem perpende dierum,  
 Nam mors, crede mihi, certa tibi veniet.  
 Disce: frui coeli vita cum tanta voluptas,  
 Fructus sit duplex, hic cito posse mori.

Honoris & observantiae causa sc.

G. P. Schulz / D. & P. P. O.



**T**Horuni quæ prima cano, sunt carmina dura,  
Dura, quid? an tellus non mitiora feret?  
Dicebam memini, nuper, Di vertite Coelum;  
Luceat externo stella serena mihi  
Affulsit, dicat vel non, mea Musa vagatur,  
Adjuvet an Patrium deseruisse solum.  
Aspera fors quondam miseram vexaverat urbem  
Nec venit inceptis mollior aura meis.  
Lubrica fata premunt Musam civemque Thoruni  
Ferreus est eheu! quem nihil ista movent.  
Usque adeo infelix urbs est Di tela sagittis  
Additis, exilio sine carente suo.  
Vix adeo premitur quis, cui non fulgeat astrum  
Lætius interdum, nec levet ira malum!  
Curia qui meruit crudelem numinis iram?  
Quæ conjurarunt in caput astra tuum?  
Justa queror: quamvis nil proficientia fundam  
Nubibus, & Zephyri verba caduca ferant  
Justa queror: mecum tristis quoque Curia luget  
BEHMIUS Ah! cecidit, qui modo Consul erat  
Arboris HIC nomen gessit, simul arboris omen,  
Dixeris: Hic vere nomen & omen habet.  
Frondebis alta suis prout arbor utrinque superbit  
Poscenti similes fructus ubique ferens:  
Sic non iudicio est quem consiliove fefellit,  
Sincerus parti *Noster* utrique fuit.  
Arbor erat vivus, fœcunda est mortuus, arbor  
Dum cadit illa suas hic quoque, linquit opes.  
BEHMIUS en igitur cecidit ceu protinus arbor,  
Mortuus, exemplo est, quod modo vivus erat.  
Si procera cadit nec stabit debilis arbor;  
*Illius* ad omnes ultima vox resonat:  
Vos *Ego* Dilecti qui me desletis amici  
Admonitos jubeo casibus esse meis  
Disce memor mortis quisquis sapiens esse futuræ,  
Arbos ut cecidit sic cadit omnis homo.

*m. p.*

M. Reinh. Frider. Bormann/  
P. P.

5(0)5

144 113033

K 71.3 21 44